

Ad Sophoclis Electram non iniucundum erit attulisse, quod narrat his verbis Gellius VII. 5. Histrio in terra Graecia fuit fama celebri, qui gestus et vocis claritudine et venustate caeteris antestabat. Nomen fuisse aiunt Polum. Tragoedias poetarum nobilium scite atque asseverate actitavit. Is Polus unice amatum filium morte amisit. Eum luctum quum satis visus est eluxisse, rediit ad quaestum artis. In eo tempore Athenis Electram Sophoclis acturus, gestare urnam quasi cum Orestis ossibus debebat. Ita compositum fabulae argumentum est, ut veluti fratris reliquias ferens Electra comploret commisereturque interitum eius, qui per vim exstinctus existimabatur. Igitur Polus lugubri habitu Electrae indutus, ossa atque urnam a sepulcro tulit filii, et quasi Oresti amplexus, opplevit omnia non simulacris neque incitamentis, sed luctu